



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

De vocabulo Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I. EPISTOLA AD

eat habentem seu iusticiam uniuersalem seu particulariorem, Sed quia non sumus iusti coram Deo in completionem Legis. Ideo in Euangelio annuntiat alia iusticia, scilicet remissio peccatorum & reconciliatio propter Filium Dei. Neesse est igitur significationem uocabuli discernere à Philosophicis modis, cum ait Paulus, Iustificati fide pacem habemus, id est, reconciliati seu accepti Deo propter Christum fide pacem habemus. Et conscientia in magnis consternationibus agnoscit se immundum esse, non circumspicit suas qualitates, sicut clamat Propheta: Psalm: 143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, scilicet propria mundicie seu proprijs qualitibus. Sed de imputatione postea plura dicemus.

De uocabulo Fidei.

Certissimum est fide in hac doctrina non tantum significari noticiam quam et Diaboli tenet, sed significari simul noticiam historie, & applicationem qua promissionem tibi applicas, & fiduciam acquiescentem in Mediatore et in Deo. Ita promissionem, & sic loqui Hebr. eos non dubitatum est, iuxta illud dictum Matth: 15. O mulier magna est fides tua. Et complectitur hæc fides totum Symbolum, in quo & illum articulum promissionem

fitetur, Credo remissionem peccatorum, Hic enim exprimuntur beneficia Dei & Mediatoris, de quo articuli precedentes loquuntur, & hunc articulum sic ad sese applicent singuli, Credo remissionem peccatorum non tantum alijs dari, sed mihi quoq;. Hæc fides rectè amplectitur promissionem qua tibi ipsi credis exhiberi remissionem & reconciliationem, ut Rom: 4. Adfirmat Paulus se de ea fide loqui quæ promissionem accipit, uidelicet, qua tibi ipsi promissionem applicas cum inquit, Ideo ex Fide gratis, ut firma sit promissio.

Esi autem scriptores post Apostolos fuerunt negligentiores, tamen interdum quid senserint ostendunt. Estq; dictum Bernhardi tenendum, quia testimonium perspicuum est, & ad confirmandos aliquos prodest, Necesse est primò omnium credere quòd remissionem peccatorum habere non possis nisi per indulgentiam Dei, sed adde ut credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur, Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua, Sic enim arbitratur Apostolus Gratis iustificari hominem per fidem. Hæc uerba extant in prima concione de annunciatione.

Sit igitur definitio Fidei. Fides est assensus quo amplectimur totam doctrinam à Deo nobis traditam,

D traditam,

AD
lem seu per
coram Deo
o annuncia
catorum &
ecessse est igit
ere à Philo
ficati fide pa
accepti Du
nus. Et con
s agnoscit
suas qualita
: 147. Non
iuens, scilicet
litatebus. Sa
us.
ei.
rina non
iaboli ten
ie, & affe
licas, & f
et in Deo
eos non d
s. O m
tur hæc f
rticulum p
ficam

I. EPISTOLA AD

traditam, & in hac promissionem Gratia quocumque
 & est fiducia acquiescens in Mediatore & in
 Deo iuxta promissionem, & clamans Abba pater.

In hac doctrina necesse est & recte intelligi
 uocabula Legis, Euangelij, Peccati, Gratia, de quibus
 alibi dictum est. Enarratis uocabulis, pro-
 positio fit perspicua, & eam accomodemus ut
 nos docendos, & consolandos in doloribus, &
 quotidie in inuocatione, non propter ulla merita
 nostra, sed propter Filium Dei Gratis, certo acci-
 pimus remissionem peccatorum, & reputamur
 iusti, imputata nobis iusticia Mediatoris, & dona-
 mur Spiritu Sancto & hereditate uitae aeter-
 nae, Fide, id est, fiducia Mediatoris, Et mandatum
 Dei immotum & aeternum est, ut credamus uerbo
 nos sic recipi & placere propter Filium, ut Ioh-
 hannis 3. dicitur: Sic dilexit Deus mundum, &
 Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui cre-
 dit in eum non pereat, sed habeat uitam aeternam.
 Ac sint in conspectu testimonia caetera Romani
 & 4. & alibi. Non solum ut refutare aduer-
 sarios possimus, sed multo magis ut nos ipsos con-
 solemur & confirmemus. Meminerimus etiam
 simul haec quatuor comprehendi, Remissionem
 peccatorum, imputationem iusticiae, donationem
 Spiritus sancti, & hereditatem uitae aeternae.

Antithesis etiam consideretur, in qua duo sunt

precipua membra. Primum Monachi uociferantur homines mereri remissionem, & esse iustos et mereri uitam aeternam propter propriam Legis impletionem. Deinde, quia nemo scit quando satis habeat meritorum, iubent homines semper manere in dubitatione. Haec duae imaginationes sunt Ethnicae, ortae ex humana ratiocinatione quae utcumq; Legem intuetur, & non nouit Euangelium, Sicut Socrates, Xenophon, & similes de uoluntate Dei ambigentes disputarunt.

Contra uero opponantur his tenebris conciones Euangelij de gratuita reconciliatione propter Filium, & de Fide, & sciamus mandatum Dei esse, ut credamus nos sic recipi propter Filium fide, & assidue repugnemus dubitationi. Haec antithesis iunioribus aliquid lucis adfert. Hi praemonendi sunt etiam de corruptelis.

Monachi sic corruerunt hanc propositionem Fide iustificamur scilicet formata dilectione, Ac fidem intelligunt tantum noticiam, & somniant hominem iustum esse propter dilectionem, id est, Legis impletionem, Haec deprauatio expresse pugnat cum Paulo, quia dicunt, Non fide, sed propter dilectionem sumus iusti, Cum Paulus clare dicat Roma: 3. Galat: 2. & 3. Impossibile est Legi iustificare. Etsi autem alij alios fucos uerborum

D 2 borum

I. EPISTOLA AD

borum quæsiuerunt, tamen eodem tendunt omnes corruptele, Fingunt nos iustos esse nostra recitate, & remouent hanc consolationem nos propter Filium Dei Gratis Deo placere fide. Refutari igitur omnes corruptele possunt per hæc dicta Psalmo 143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Daniel: 9. capite. Non in iusticia nostra, sed per misericordiam tuam propter Dominum exaudias nos. Item 1. Corinthi 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum.

Corruptela apud Origenem similis est corruptele apud Monachos.

Recens deprauatio est, fide scilicet preparante iustificamur, ut deinde alia re simus iusti ut si dicatur, Motus calefacit. Postea uero corpus non calet motu, sed calore. Sic uolunt isti per hominem sua nouitate iustum esse. Oppono tamen sus dictum illud, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Retineri necesse est hanc sententiam, quod imputatione propter Mediatorum sumus iusti. Ac tollere doctrinam de imputatione & pro ea subijcere hunc errorem, quod homo sua nouitate iam sit iustus, manifesta impietas est pugnans cum hoc dicto Gen: 15. & Roman: 4. Credidit Abraham Deo, & imputata est ei ad iusticiam.

Nec illa imaginatio congruit cum Euangelio, quod homo sit iustus propter commixtionem corporalem Christi cum anima uel corpore nostro, quia proprie de Spiritu Sancto dictum est, quod effundatur in corda nostra, & sit immediata persona sanctificans, ut in actis capite 2. dicitur: Dextra Dei exaltatus accipiens promissionem Spiritus Sancti à patre effudit eum in nos, Et Galat: 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra.

Difficile est iudicare labyrinthos, qui tam uariè struuntur contra ueritatem, sed iuniores rectè discant fundamenta propter gloriam DEI & propter propriam salutem, Rectè cognitis fundamentis cum accedet etas & usus, refutare contrarias imaginationes poterunt. Et quæ diximus congruunt ad doctrinam de Regeneratione. Cum enim in ueris pauoribus corda uoce Euangelij sustentantur, Spiritus Sanctus simul est efficax, & accendit fidem & alios motus spirituales, Sicut ad Galatas 3. dicitur: ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Hæc sunt initia regenerationis in conuersis, de qua dicitur Roman: 8. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Item, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Nequaquam enim hoc docemus, hominem iustum esse, aut sanctificari, aut liberari à

D 3 peccato

I. EPISTOLA AD

peccato & à morte aeterna proprijs uiribus, et
 actionibus, Sed hæc sanctificatio & uiuificatio
 opus est Dei, efficientis eam suo Spiritu Sancto,
 Et tunc renati uerè sunt templum Dei, Etsi enim
 hæc sanctificatio est proprietas attributa Spiritui
 Sancto, tamen uerum est simul totam diuinitatem
 esse, Sicut inquit Dominus Ioan: 14. Veniemus
 ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Hoc
 ingens bonum agnoscendum est, & Deo gratia
 agenda, quòd immensa misericordia ita se pro-
 pter Filium demittit, ut hanc miseram naturam
 & magnas sordes adhuc circumferentem tamen
 recipiat, & uerè in ea adsit, eam regat, defendat
 contra Diabulos, & luce & uita aeterna donet.
 Et curemus hoc tantum bonum retinere, nec con-
 tristemus Spiritum Sanctum falsis opinionibus
 aut lapsibus contra conscientiam propter quos
 deseritur homo & ruit in regnum Diaboli, ut
 Petri 2. dicitur.

Quanquam autem renatus est templum Dei
 & in eo reuera est diuinitas, & crescere in
 nouam lucem & sanctificationem accensam
 Spiritu Sancto oportet, Tamen hæc sententia
 net uera, personam iustam esse, id est, placere Deo
 non propter nouitatem, sed reputari iustam
 putata ei iusticia Christi, & placere propter
 lium Mediatorem sola Fide. Ita utrumq; scilicet

fieri renouationem per Spiritum sanctum, & ta-
 men hanc consolationem de imputatione tenen-
 dam esse. Et hanc fidem ceteris uirtutibus & in-
 uocationi semper prælucere, iuxta illud: Rom:
 5. Iustificati fide pacem habemus. Non enim ac-
 cedi potest ad Deum sine hac consolatione.

Postquam autem de conuersione hominis di-
 ctum est, Deinde usitatum est addere doctrinam
 de bonis operibus, quam docendi causa in has
 quæstiones distribuo. Prima, Quæ opera sunt
 faciendæ. Secunda, Quomodo fieri possint. Ter-
 tia, Quomodo placeant cum reliquum in nobis
 sit peccatum. Quarta, Propter quas causas faci-
 endæ sint. Quinta, Quod sit discrimen peccato-
 rum. De his quæstionibus alibi copiosè & ex-
 plicatè dictum est.

*Secundum præcedentes Pro-
 phetias,*

Id est, Sicut antea habuisti de te uel super te
 testimonia Spiritus sancti.

*Habens fidem & bonam con-
 scientiam.*

In fine primi capitis redditio est congruens
 ad initium, Sicut hortatus sum ut præcipias alijs,

D 4 ul